



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De monacho in Ottirburg, qui per versiculum, Diabolus egredietur ante pedes eius, à tentatione apostasiae liberatus est, cap. 55

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13177**

fidium: cumque putaret se celerius esse capiendum, vel interficiendum, clamauit ad Dominum, dicens: Domine libera me in hac hora: & circūspiciens, mox vidit exercitum candidatorum de longē venientem, sibiq; in auxilium properantem: signifer autem, qui præcedebat, pro signo militari Alleluia finaliter clamauit, crebrò id repetens, qua vociferatione hostes territi & dispersi, fugā inierunt; notitium solum relinquentes, Qui expergefactus, non solum gauisus est se fuisse liberatū ab eis, qui eum circūdederāt in nocturna visione; sed, quod magis eum angebat, prædicta videlicet tēratione. Manē accedēs ad Priorem, dixit ei satis hilariter: Rogo vos domine Prior, vt adhuc altiūs & fortiūs cantetis Alleluia super caput meum, non me amodò turbabit clamor diuinæ laudis: & recitauit eā visionem per ordinem. Ista nobis retulit sanctæ recollectionis Walterus de Birbach, qui eundē Gerardum vidit & agnouit. APOLLONIVS: Puto etiam nonnullos monachos de apostasia tentari. CÆSARIVS: Multi de ea tentantur, & viriliter reluctantur: alij tentantur, & tam voluntate quā opere profus superantur: quidam verò tentantur, & concepta voluntate, diuinis reuelationibus, siue ordinatione, ante casum reuocantur: nonnulli verò flagellis cohibentur. APOLLONIVS: De his mihi dicas exempla. CÆSARIVS: De primis & secundis, quia tentatio eorum satis est vñitata, non est necesse tibi dicere exempla. De nouissimis verò tibi dicam quod audiui.

## CAPVT LV.

**M**onachus quidam de Ottirburg, teste domino Philippo Abbate eius, qui hæc retulit, *De Apostasia tentati, resipiscentes.* tentationes incurrit, vt redire proponeret ad seculum. Nocte quadam, cum staret in choro, & mente tractaret, quādo vel quomodo de monasterio exiret, præ tēdio cantare non potuit. In laudibus verò, dum canticum sancti Abacuc psallerent, eo quod esset feria sexta, iam dictus Abbas ad excitandum fratres circumiuit; qui cum venisset ad monachum illum, quatuordecim, & non cantaret, putans eum dormire,

*Abac. 3.*

se ad illum inclinavit, & versiculum, qui eadem hora psallendus erat, in aurem vigilantis fortiter clamavit, dicens: Egredietur diabolus ante pedes eius. Qua voce audita, satis territus est ille: putans Abbatem per aliquam revelationem cogitationes suas peruersas scire, quibus tam manifeste sententia prophetica visus est respondere: nec aliter intelligens verba prophetæ, quam de se facta; timuit maledictionem eius si abiret incurrere; & diabolum itineris sui ducem haberet sicque virtute diuina reuocatus à malo proposito, stabilis factus est; & miratus est Abbas vt intellexit.

## CAPVT LVI.

**S**anctimonialis quadam circa principium conuersionis suæ, sicut ipsa mihi retulit, tam graui ter tentata fuit, vt doleret se venisse ad religionem. Reduxit ei ante cordis oculos diabolus delicias seculi, quas dimiserat; penuriã monasterij quam sustinebat, & cœpit ex hoc graui ter tentari & contristari. Quæ cum tentationes diutius sustinere non posset, nocte quadam voti sui immemor, de lecto surgens, & de monasterio egredi volens, ad ostium quoddam, quod ad cœmeterium ducit, venit, vt transilito muro ad seculum iret. Nutu Dei factum est, vt in superiori limine tam fortiter capite impingeret, vt concusso cerebro retrorsum caderet, & diu quasi exanimis iaceret. Tandem ad se reuersa ait: Quò vis ire misera? quò diabolo debuisti, hoc exoluisti: reuertere nunc in claustrum, quia nõ est voluntas Dei vt vsquam vadas. Vides quam misericorditer Deus suos conferuet, nunc per somnia, nunc per quædam prælagia, nunc per flagella. Ex his satis poteris colligere, quòd quædam nouitiorum tentationes, nec non & monachorum, non verbis humanis & exemplis possint curari, sed sola diuina virtute. Hæc tibi dicta sufficiant de tentationibus acedie vel tristitie. Vis nunc aliqua audire exempla de auaritia? **APOLLONIUS**: Volo & desidero, quia hoc vitio non solum seculares, sed & claustrales satis tentantur. Vnde peto vt idem vitium mihi describens, filias eius enumeres, & sic exempla subiungas.

CAPVT